

prehensum, ex quo tanquam ex signo recte colligit D. Thomas crucem eadem adoratione cum Christo adorari, quia in illa adoratur Christus, ac si præsens adesset.

ARTICULUS V.

Utrum mater Christi sit adoranda adoratione latriæ¹.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod mater Dei sit adoranda adoratione latriæ. Videtur enim idem honor esse exhibendus matri regis et regi. Unde dicitur, 2 Reg. 2, quod positus est thronus matri regis, qua sedit ad dexteram ejus. Et Augustinus dicit in serm. de Assumptione: Thronum Dei, et thalamum Domini cæli atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, ubi est ipse. Sed Christus adoratur adoratione latriæ; ergo et mater ejus.

2. Præterea, Damasc. dicit in 4 lib. 2, quod honor matris refertur ad filium. Sed filius adoratur adoratione latriæ; ergo et mater.

3. Præterea, conjunctior est Christo mater ejus quam crux. Sed crux adoratur adoratione latriæ; ergo et mater Christi est adoratione latriæ adoranda.

Sed contra est, quod mater Dei est pura creatura. Non ergo ei debetur adoratio latriæ.

Respondeo dicendum, quod quia latria soli Deo debetur, nulli creaturæ debetur latria, prout creaturam secundum se veneramur. Licet autem creaturæ insensibiles non sint capaces venerationis secundum seipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum seipsam, et ideo nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ. Cum igitur Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ; sed solum veneratio dulciæ, eminentius tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipsa est mater Dei. Et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscumque dulcia, sed hyperdulcia.

Ad primum ergo dicendum, quod matri regis non debetur æqualis honor honori qui debetur regi; debetur tamen ei quidam honor consimilis, ratione cujusdam excellentiæ. Et hoc significant auctoritates inductæ².

Ad secundum dicendum, quod honor matris

¹ 2. 2, q. 103, art. 4, ad 2. Et 3, d. 9, q. 1, a. 2, q. 3.

² C. 17.

³ In arg. 4.

refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium adoranda. Non tamen eo modo quo honor imaginis, quia ipsa imago, prout in se consideratur, ut res quedam, nullo modo est veneranda.

Ad tertium dicendum, quod crux non est capax venerationis prout in se consideratur, ut dictum est¹. Sed Beata Virgo secundum seipsam est venerationis capax. Et ideo non est similis ratio.

COMMENTARIUS.

Quod ad mentem D. Thomæ attinet, ipse in hoc articulo (ut aperte patet ex corpore ejus) solum agit de adoratione absoluta, quæ per se et propter propriam excellentiam alicui tribuitur, fortasse quia supponit rationalem personam non esse alio modo adorandam, non quia sit omnino incapax adorationis respectivæ, sed quia cum sit capax propriæ venerationis, ea uti oportet, et non alia, ut in solut. ad 3 indicatur. Hoc igitur sensu supposito, clara est responsio ejus, Beatam, scilicet, Virginem non latria, sed dulcia, vel potius hyperdulcia adorandam esse. Et solutiones etiam argumentorum, supposito eodem sensu, nullam habent difficultatem. Disputatio vero fusior de hac materia tradetur commodius infra, postquam de dignitate et excellentia gratiæ et gloriæ Beatissimæ Virginis disputaverimus; cum enim fundamentum hujus cultus sit excellentia Virginis et potestas, hujus cognitio illius intelligentiam supponit. Ibi ergo tam de adoratione quam de oratione ad Virginem exhibenda commodius disseremus. Sicut etiam de adoratione Eucharistiæ in propria illius materia tractandum est.

ARTICULUS VI.

Utrum reliquiæ Sanctorum sint adorandæ²

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod sanctissimæ reliquiæ nullo modo sint adorandæ. Non enim est aliquid faciendum, quod possit esse occasio erroris. Sed adorare mortuorum reliquiæ, videtur ad errorem Gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant. Ergo non sunt Sanctorum reliquiæ adorandæ.

2. Præterea, stultum videtur rem insensi-

¹ Art. præ

² 2. 2, q. 96, a. 4, ad 3.

bilem venerari. Sed Sanctorum reliquiæ sunt insensibilia corpora. Ergo stultum est eas venerari.

3. Præterea, corpus mortuum non est ejusdem speciei cum corpore vivo; et per consequens non videtur esse numero idem. Ergo videtur quod post mortem alicujus Sancti corpus ejus non sit adorandum.

Sed contra est quod dicitur in lib. de Eccles. dogmatibus¹: Sanctorum corpora, et præcipue beatorum Martyrum reliquiæ, ac si Christi membra, sincerissime honoranda, scilicet, credimus. Et postea subditur: Si quis contra hanc sententiam velit esse, non Christianus, sed Eunomianus et Vigilantianus creditur.

Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de Civit. Dei², si paterna vestis et annulus, ac si quid est hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes est major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta gestamus, hæc enim ad ipsam naturam hominis pertinent. Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur; non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, puta vestes, et similia. Manifestum est autem quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios et amicos, et nostros intercessores. Et ideo eorum reliquiæ qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, et præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa et organa Spiritus Sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde et ipse Deus hujusmodi reliquiæ convenienter honorat, in eorum præsentia miracula faciendo.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc fuit ratio Vigilantiæ, cujus verba introducit Hieronymus in libro quem contra eum scribit³, dicentis: Prope ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum; pulvisculum nescio quem in modico vasculo, pretioso linteamine circumdatum, osculantes adorant. Contra quem Hieronymus, in ep. ad Riparium⁴:

¹ C. 73, in princ., habetur inter opera Augustini, tom. 3.

² L. 4, c. 13, tom. 5.

³ In ep. ad Vigilant., non procul a princ., t. 3.

⁴ Incipit epist. Acceptis primum litteris tuis, non procul a princ.

Nos non dico Martyrum reliquiæ, sed nec solem, nec lunam, nec Angelos adoramus, scilicet, adoratione latriæ, honoramus autem reliquiæ Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus; honoramus seruos, ut honor servorum redundet ad Dominum. Sic ergo honorando reliquiæ Sanctorum, non incidimus in errorem Gentilium, qui cultum latriæ mortuis hominibus exhibebant.

Ad secundum dicendum, quod corpus illud insensibile non adoramus propter seipsum, sed propter animam quæ fuit ei unita, quæ nunc fruatur Deo, et propter Deum, cujus fuerunt ministri.

Ad tertium dicendum, quod corpus mortuum alicujus Sancti non est idem numero quod primo fuit dum viveret, propter diversitatem formæ, quæ est anima; est tamen idem identitate materiæ, quæ est iterum suæ formæ unienda.

Littera D. Thomæ et per se clara est, et in sequenti disputatione amplius illustrabitur.

DISPUTATIO LV,

In duas sectiones distributa.

DE RELIQUIARUM CULTU ET VENERATIONE.

In hac disputatione omnia illa, quæ de imaginibus tractata sunt, sigillatim quæri et investigari possent. Tamen, quia ratio doctrinæ similis est, et eadem fere proportione applicari potest, ideo brevius doctrinam de reliquiarum cultu complectemur, illius honestatem et modum, seu naturam et speciem explicando. Nomine autem reliquiarum non tantum Sanctorum corpora, vel eorum partes, sed etiam vestes, et alia similia, quibus ipsi specialiter usi sunt, comprehendimus.

SECTIO I.

Utrum Sanctorum reliquiæ in veneratione et honore habendæ sint.

1. Hæretici negant reliquiæ Sanctorum adorandas esse, vel a fidelibus custodiendas et conservandas. Cujus hæresis auctor fertur esse Vigilantius. Sed illum in hoc errore fuisse discipulum Eunomii, refert Hieronymus, ep. ad Riparium, et I. contra Vigilant., dicit etiam eum fuisse imitatum Judæos et Samaritanos, qui humana cadavera abominantur. Sed et ante Eunomium Gnosticos contempsisse Martyres, non tam eorum reliquiæ quam martyria despicientes, refert Iren., l. 3, c. 20; et

Tertul. ; in Scorpiaco. In hoc eodem errore versatus est postea Constant. IV, seu Copronymus, ut ex Suid. refert Prateol. ; et postea Joann. Wiel., ut refert Waldens., tom. 3 de Sacramentalib., c. 174 ; ac denique Luther., Calvin., Zuingl., et alii novi hæretici, ut refert Lindan., dialog. 2 ; Hosius, in confes., c. 58 ; Alan., dial. 3, c. 12 et sequentibus.

2. *Reliquiis Sanctorum veneratio debita.* — Dicendum vero est reliquias Sanctorum merito a fidelibus conservari, et cum magna reverentia et veneratione tractari. Hæc veritas non solum de fide certa est, sed etiam videtur lumine naturali evidens, supposita, quam de Sanctis habemus, existimatione, et primo indicatur in Script. sacra; Genes. enim 50, et Exod. 13, legimus ossa Jacob et Joseph cum magno honore esse conservata et sepulturæ tradita. Et Deuter. ult. creduntur Angeli sepelivisse corpus Moysis, ut ex antiqua traditione exponit Epiph., hæc. 9, circa finem ; et Act. 8, curaverunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planetum magnum super eum.

3. *Veneratio Ecclesie Romanæ circa reliquias Sanctorum.* — *Ecclesie Constantinopolitanæ erga reliquias devotio.* — *Antiochenæ Ecclesie devotio erga Sanctorum reliquias.* — Secundo hoc maxime probatur ex universalis Ecclesie traditione et consensu, quem sic demonstro. Nam imprimis de usu Ecclesie Romanæ antiquissimo constat ex Cornel. Papa, ep. 4, ubi tractat de translatione corporum Petri et Pauli, suo tempore facta a Catacumbis, ad loca in quibus martyria sunt passi ; et Greg., l. 3, ep. 30 (quæ pro veneratione reliquiarum attente legenda est), earumdem reliquiarum Petri et Pauli meminit, et quomodo ab eo tempore quo passi sunt, magna cum veneratione servatæ fuerint ; et l. 5, ep. 50, mittit partem harum reliquiarum reginæ Francorum, monens ut debito honore tractentur, Hieronymus etiam contra Vigilant., refert summos Pontifices solitos esse super reliquias SS. Apostolorum Deo sacrificium offerre ; et coram eis semper fuisse luminaria accensa, constat ex Greg., 3 dialog., c. 24 ; Chrys., hom. 32 ad Rom., circa finem, civitatem illam magnificat, quod in ea reliquie Apostolorum conditæ sunt, et corpori Pauli circumvolvi exoptat. Secundo, de Ecclesia Constantinopolitana. Ad eam etiam translatae sunt summo cum honore reliquie SS. Andreae, Lucae et Timothei, tempore Constantini Magni, teste Hieronymo contra Vigilant. ; postea reliquie

S. Pauli Episcopi et martyris tempore Theodosii senioris, ut refertur l. 9 Tripart., c. 17. Et corpus S. Joannis Chrysostomi, tempore Theodosii Junioris, l. 10 Tripart., c. 26 ; Theodore., l. 5 Hist., c. 3 ; Niceph., l. 14, c. 43 ; refert etiam idem Chrys., hom. 66 ad Popul., Constantinum Magnum magni honoris gratia, juxta fores templi in quo Apostolorum reliquie servabantur, a filiis suis fuisse sepultum. Et ibidem inquit, reliquias Sanctorum non solum Romæ, sed etiam Constantinopoli magna coli pietate. Tertio, de Antiochena Ecclesia, corpus S. Ignatii, in magna veneratione ibi habitum esse refert Evag., t. 1, c. 16. Idem de S. Meletio, Sozomenus, l. 10, c. 12 ; et de S. Babila, Ruffinus, l. 4, c. 35, ubi refert dæmones ad ejus præsentiam obmutuisse, neque in idolis suis amplius responsa dedisse ; et in hujus Sancti honorem integrum librum Chrysostomus composuit. Quarto, in Alexandrina Ecclesia, caput Joannis Baptistæ cum summo honore servavit Athanasius, ut Ruffin. refert, l. 2, c. 28. In Hierosolymitana, sedes seu cathedra S. Jacobi honorifice conservata est, teste Euseb., l. 7, c. 15 ; Niceph. l. 6, cap. 16. In Smyrnensi, corpus S. Polycarpi, auctore eodem Euseb., l. 4, c. 15 ; et Niceph., l. 3, c. 35. In Hispania, reliquie S. Jacobi, singulari Dei providentia conditæ sunt, et non solum ab incolis, sed ab universis fidelibus religionis causa eo venientibus adorantur, ut ex antiquissima et vulgatissima traditione constat. Et simili veneratione corpora S. Dionysii, Martini, Hilarii, et alia pene innumera Gallicana Ecclesia semper venerata est. De Mediolanensi legi potest Ambrosius, epist. ult. ad Sororem, et serm. 91 et 92, ubi de inventione Sanctorum Gervasii et Protasii, Nazarii et Celsi, historiam refert. Et alia similia congerit Hieronymus contra Vigilant.

4. Tertio confirmat hanc traditionem communis Patrum consensus, qui partim ex dictis hic, partim ex iis quæ, art. 1, pro veneratione Sanctis debita adduximus, satis constare posset. Sed præterea Clemens Romanus, lib. 6 Constit., c. 30 : *Eorum, inquit, qui Deo vivunt, nec reliquie sine honore manent.* Justin. Martyr, quæst. 28 a Christianis proposita, corpora et sepulera Martyrum dicit virtutem habere, et adversos dæmones, et ad sanandos morbos qui arte medicinæ curari non possunt. Nazianzen., orat. 3, quæ est prima contra Julianum, § Non victimas, de Sanctis loquens, inquit : *Quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, sive tanger-*

tur, sive honorentur, quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionis signa, idem possunt, quod corpora Basilius, Psalm. 115, circa illa verba : *Pretiosa in conspectu Domini: In lege, inquit, veteri morticina habentur abominatione; nunc contra si mors cuiquam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquie ejus; tunc, si quis tangeret cadaver, immundus erat; nunc martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps.* Tertullianus, l. 2 ad Uxorem, dicit solitos esse fideles reptare in carceres ad osculanda vincula martyrum. Alia legi possunt in August., ep. 42, et serm. 11 de Sanctis; Cyprianus, l. 3, ep. 6, alias ep. 37.

5. Quarto, variis signis et miraculis, per Sanctorum reliquias tanquam per divina organa effectis, earum adorationem approbavit Deus. Nam, 4 Regum 13, ossa Elisæi suscitavit mortuum. Actorum 19, sudaria vel semicinctia Pauli ad infirmos deferebantur : *Et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Quin etiam umbra Petri liberabat homines ab infirmitatibus suis. Multaque alia referuntur in VII Synodo, et apud Augustin., l. 22 de Civit., c. 8, de miraculis per reliquias S. Stephani et aliorum effectis ; et ep. 137, eleganter disputat cur Deus per unius Sancti reliquias potius quam alterius ; miracula interdum operetur. Gregorius Turon., l. de Gloria Mart., c. 31, agit de reliquiis S. Andreae, earumque miraculis, et de oleo quod ab illis manabat. Et similia frequenter leguntur in ecclesiasticis historiis. Huc etiam pertinet quod Deus sæpe occultas Sanctorum reliquias per revelationem manifestavit, ut in honore haberentur, ut legimus de S. Marcellino, Gervasio, Protasio, et aliis.

6. Quinto, propter hæc tandem definita est hæc veritas a Felice I, cum Conc. Rom., ep. 2 decretali ; in VII Synod., act. 1, in confessione catholica Theodosii et Basili Ancyrani, ubi dicitur hanc esse traditionem Apostolicam, et act. 3, ep. Theodo., in fine, optimis rationibus probatur. Habentur etiam multa act. 4, et 7, can. 7, præcipitur ut Ecclesie non consecrentur sine reliquiis Sanctorum. Quod in Conc. Carthag. V, c. 14, fuerat institutum. Habetur cap. Placuit, de Consecrat., d. 1. In Lateran. etiam sub Innoc. III, c. 62, præcipitur ut reliquie extra capsam non ostendantur, neque exponantur venales, et ut denuo inventæ non adorentur, nisi prius a Roman. Pont. fuerint approbatæ, de quo in-

fra. In Concil. item Mogun., cap. 51, præcipitur ne transferantur de loco ad locum sine licentia Episcopi, cap. Corpora, de Consec., dist. 1. Item in Bracharen. III, c. 5, docetur qua reverentia portandæ sint in publicis solemnitatibus et pompis. Denique Tridentinum, sess. 25, de cr. 2, hoc gravissime definit.

7. Sexto et ultimo, ratione, quia corpora Sanctorum fuerunt templa animarum sanctarum, et futura sunt consortia æternæ beatitudinis, in qua erunt in perpetuo honore. Deinde illas conservare et retinere, est signum amoris erga Sanctos, et excitant eundem amorem et devotionem ad illos. Tertio, majorem cum illis habent conjunctionem quam imagines, et suo modo magis illos repræsentant ; ergo propter excellentiam Sanctorum et habitudinem ad illam sunt reliquie honore dignæ. Quæ rationes latius tractantur in VII Synod., act. 4 et 7 ; ab August., l. 1 de Civit., c. 13 ; et Damasceno, l. 4, c. 16.

8. *Objectio.* — Sed contra ; nam, Lucae 11, dixit Dominus Judæis : *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum.* Ergo similia verba dici possunt de nobis. Unde ibidem, et Matthæ. 23, comparat Christus Pharisæos sepulcris dealbatis, quæ interius sunt plena ossibus mortuorum ; indicans hujusmodi ossa esse immunda, et nullius venerationis posse esse digna. Secundo, Concilium Elibertin., can. 34, vetat ad sepulcra Martyrum cereos accendere. Tertio, in Sanctorum reliquiis non manet nisi materia prima, præsertim in cadaveribus eorum, et ad summum juxta probabilem opinionem manet eadem quantitas cum aliquibus accidentibus ; sed hæc non sunt satis ut adorari possint, quia alias, etiam si convertantur in terram aut in vermes, essent adorandæ, quia manet eadem quantitas.

9. *Responsio.* — Ad primum, ut illa Christi verba intelligantur, attendenda sunt quæ sequuntur ; sic enim ait : *Væ vobis, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quia eorum operibus consentitis.* Quæ ultima verba difficilia sunt ; nam qui ædificat sepulcrum homini occiso, non ideo videtur occidenti consentire, sed potius pietatem et misericordiam circa occisum ostendere. Nicodemus enim et Joseph ab Arimathia, qui Christo mortuo sepulcrum pararunt, non ideo neci ejus consenserunt. Dicit ergo potest duplici causa posse aliquem ædificare sepulcrum hominis occisi. Primo, ut misericordiam vel honorem circa mortuum exercent. Secundo in